

ultra centum aureos ratione periculi aliquid exigit, injuste gravat debitorem.

(35. In hoc argumento distinguendum est periculum centum aureorum, a damno centum aureorum, nam si utrumque indiscriminatim accipias, ad avertendum amittendæ sortis periculum injuste retinerentur pignora, injuste pignoratitia ageretur actione, ut in l. Tutor. 16, § 1, ff. De act. pignorat. Cum enim actiones istæ, et jura sint valde æstimabilia, retento pignore ratione mutui, aliquid ultra sortem pretio æstimabile injuste retineretur. Revera, dum quis ex causa cambii maritimi mutuat centum, iniquum non est, ut ipsius ratio habeatur in constituendo cambio maritimo. Non incipit periculum perdendi centum aureos non esse æstimabilius damno centum aureorum, quapropter pro periculo centum aureorum de centum aureis licite non pacisci; non repugnat tamen, quod de certa proportionata quantitate pacisci quis possit. Nam ob periculum damnique centum aureorum conveniuntur usuræ. Profecto, si mutuatæ tantummodo pecuniæ licita esset conventio, nulla mutuanti concederetur compensatio ob periculum ejusdem amittendæ pecuniæ. Re enim eveniente, mutuanti eadem restituitur pecunia, omneque lucrum mutuatario tribuitur: si vero navis naufragio pereat, mutuatæ pecuniæ damnum incommodum tantum cedit mutuanti, quin illius particeps sit mutuatarius, adeoque hic in lucro semper est, solusque mutuans usque subicitur damno, quin ullum unquam commodum sentiat. Cum vero tritum ac vulgare sit, eum sentire commodum debere, qui incommodum sentit, ideo hoc casu etiam mutuanti poterit ob hoc periculum aliquod præmium concedi, ut ei in prospero rei eventu aliqua tribuatur compensatio damni, quod ferre in adverso potest. Non aliter statutum est de fidejussione, per quam aliquid non interdicatur exigere pro periculo, cui se subicit ad implendam alienam obligationem, etiamsi ex sua fidejussione non solvat; idem dicas de eo, qui pecuniæ trajectitiæ periculum suscipit.

(36. Obj. 9. Dictum illud evangelicum Lucæ cap. vi, quo usuræ reprobantur, scilicet: *Mutuum date nihil inde sperantes*. Verum præceptum hoc evangelicum (cujus verba refert Urbanus III in cap. *Consuluit* 10, De usuris, ad probandum, jure divino usuras esse prohibitas) quodcumque lucrum, aut usuram non reprobatur, sed illam ratione mutui, ac directe et immediate propter mutuum acceptam. Nos autem de auctario ultra sortem quempiam pacisci contendimus, non propter mutuum, sed ratione periculi, quod in se creditor suscipit; proinde ad hunc casum traducenda non sunt præcitata verba, uti habet Zoes., *Comment. in jus canonic.*, lib. v *Decretal.*, tit. 19, *De usur.*, § 4, etc. Revera in mutuo proprie dicto nullum mutuatæ pecuniæ periculum afficit, mutuanti. Cum enim eadem pecunia illico in mutuatarii dominium transeat, ad ipsum ideo

eum pertineat tum pecunia, tum ipsius periculum, æquum est, ut lucrum omne ipsius commodo cedat. Cæterum de his fusiuse actum est in verbo *Mutuum*, et quod talis receptio auctarii ex parte periculum suscipientis nullam in se contineat usurariam pravitatem, monet Azor., cap. 6, q. 1; Lugo., c. 1, n. 77; Piringh., *loc. cit.*, § 4, etc.

(37. Negotium tamen maximopere fecerit celeberrima Decretalis Gregorii IX, in cap. *Naviganti*, ult. De usur., in qua fenus hoc nauticum manifestissime reprobatur videtur. Ita enim, c. l., rescripsit Pontifex: « Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. » Super hoc Gregoriano rescripto varia a variis afferuntur. Maritimas hasce usuras hæc Decretali penitus reprobantur putant nonnulli doctorum; sic cum *Glos.* Panormitanus, Hostiensis; Fagnan., Navar., initio *Comm. de cambiis*, et Leotard., *De usuris*, quæst. 23, n. 3 et 19; quorum opinionem refellit Zoesius, *Comment. in jus can.*, in lib. v *Decret.*, tit. 19, *De usur.* sub n. 4. Alii opinantur a Gregorio IX usuram maritimam tunc solum prædicto capite fuisse damnatam, cum vel nullum, vel fictitium subsit amittendæ sortis periculum, ut hæc sub ementita periculi specie sibi lucrum quærant feneratorales: sic Molineus in tract. *De usuris*, quæst. 3, n. 95, refellit tamen a Covarruv., lib. iii *Var. resol.*, cap. 2, n. 5, et Piringh., *eod. loc. cit.*, § 4, sub n. 47. Alii tenent, quod hujus capitis dispositio locum habeat, quando periculi pretium sit injustum et excessivum, secus si sit justum et legitimum; verum huic interpretationi repugnat littera textus, uti notat Piringh., *loc. cit.* Alii cum Barbosa, Laiman., Stypman., *De jur. marit.*, et quibusdam aliis negativam interponunt, subtiliter quidem, qui concordantes exhibent omnes, « Usurarius est censendus, non secus. » Vid. Joan. Bernatt., *De util. legendæ hist.*, l. ii, in princ., Navar. ad d. c. ult. h. t., et in *Manuali*, c. 17, n. 284 et seq.; Binff., ad d. c. ult., q. 1 et 2; Can., ib. 4; Scac., *De commerc.*, § 3. *Gloss.*, 3, n. 37. Quo autem argumento de omnia negatione innitantur, videre est apud Gagliardi, *Inst. jur. can.*, lib. iv, tit. 17, in not. loc. d., ad § 78, apud Zecch., *De usur.*, dissert. 11, cap. 1, sect. 3, *De periculo sortis*, § 53.

(38. Verum opinionem de omnia negativa optime arguendo refellit Zecch., *loc. cit.*, cujus argumentum cum non sit, ut ipse protestatur, a nullis viris de canonico jure optime meritis adhuc animadversum, ex integro referre non piget. « Is itaque, inquit, Raymundus de Pennafort fuit compilator *Decretalium* Gregorii IX uti videre est apud Florent. in suam præfat. ad tract. 9 in 9 priores tit. lib. i, *Decret.* Gregorii IX. (Et Martinus Polonus, qui et Innocentii III et Honorii compilationum meminit, de Gregoriana sic loquitur: « Hic Papa per fratrem Raymundum penitentiarum et capellanum

ex pluribus voluminibus *Decretalium* compilavit unum volumen, mandans ubique doctoribus illo uti. Fuit, inquam, *Decretalium* compilator Raymundus de Pennafort, iisque hoc ipsum capitulum inseruit: scripsit quoque *Summam de penitentia*. Quam licet ante *Decretalium* collectionem inchoaverit, eam tamen post ipsorum collectionem magis expolivit, atque perfecit. In hac vero summa decretalem Gregorii IX iisdem refert verbis, ac modo legitur in corpore *Decretalium*; quapropter nemini dubium esse potest quin prædicta decisio vel ex *Summa Raymundiana in Decretales Gregorii IX*, vel ex his in illam fuerit translata. In utroque autem casu actum esse videtur de omni controversia super lectione prædictæ decretalis, quæ nulla interposita negativa accipi debet. »

(39. Hæc itaque epistolæ Gregorianæ affirmativa lectione retenta, plures alias doctorum interpretationes referre piget; eæ siquidem tales sunt, ut nullo in pretio haberi debeant; videri tamen possunt apud Gregor. Tholosan. *De usur.* lib. ii, cap. 5, n. 9; Franc. de Arauxo, *Decis. moral. de stat. civil.*, disput. 5, q. 1; Velasquez de Avendanno, *Tr. de censib. Hispan.*, c. n. 1; Petr. Santerna *De assecurat.*, p. i, n. 10, seqq.; Navar., *Manual. confess.*, c. 17, n. 284. Ex omittendis autem excipienda opinio, quam præclarissimi viri amplectuntur Piringh., *loc. cit.*, § 48; Vallens., *Paratitl. jur. canon.*, lib. v, tit. 19; *De usur.*, § 3, n. 7; Gagliardi, *Inst. canonic.*, lib. iv, tit. 17, n. 79 et alii, non ut cæteræ, despicienda. Inquiunt hi prædictum capitulum de mutuante intelligendum, qui invitum traxit mutuatarium ad secum paciscendum de suscipiendo periculo pecuniæ trajectitiæ, aliter non mutuaturs; hic enim, etsi revera suscipiat aliquid periculum, quamdam tamen mutuatario imponit obligationem ita secum paciscendi, quod est contra naturam mutui, quod gratuitum esse debet. Quam interpretationem præcedit S. Antonin., par. ii, tit. 10, cap. 7, § 21, quem plurimi secuti sunt theologi et canonistæ; quæ quidem sententia mihi valde probabilis videtur. Nihilominus aliam hujus decretalis interpretationem habemus apud Zecch., *De usur.*, dissert. 2, cap. 1, sect. 3, § 65, et dissert. 3, cap. 2, sect. 4, § 131. Laudatus auctor, *loc. cit.*, affirmat decretalem intelligendam de periculo juris, non facti: proposita tamen hujusmodi distinctione, non satis constat de solutione quæstionis. Periculum juris pretio æstimabile esse, etiam ii, qui rigorem doctrinæ profitentur, concedunt; inter quos præcipue Ballarinus, *De jur. divin. et natur. circ. usur.*, tom. 1, lib. vi, c. 3, § 1, n. 4. « Hoc periculum (periculum nempe perdendi ipsum jus ad repetendam sortem, ut nempe mutuatarius non teneatur creditori etiam de sorte, si hæc casu pereat), quod periculum juris quidam appellant, si in omni mutuo intercederet, justum esset in omni mutuo suscepti periculi pretium. » Sed si hoc periculum justum præbet auctario titu-

lum, et de hoc loquitur decretalis, non de periculo facti, cur in eadem decretali statuitur, hujusmodi contractum usurarium censendum esse? Hæc fortasse de causa nonnulli contra Ballarinum tenent susceptum juris periculum per se ab usuraria pravitate non excusare, inter quos Fagnan. ad cap. *Naviganti*, De usur., card. de Luca, *De usur.*, disc. 3; Leotard., *De usur.*, quæst. 23. Ut igitur periculum amittendæ sortis ab usura immunem reddat contractum, necessario concurrant oportet qualitates, de quibus supra est sermo, quod nempe periculum hoc irreparabile sit, vel saltem difficillime possit reparari, quod sponte a creditore suscipiatur, et similia.

Nec facile assentiri possum laudato Zecch., diss. 3, capit. 2, sect. 4, § 132, ubi tenet decretalem respexisse ad fenus nauticum Romanorum, eo quia leges civiles in pecuniis trajectitiis permetterent usuras ratione metus, sive propter usum pecuniæ, vehementer tamen auctas ob susceptum periculum. De hoc satis supra actum est, et ostensum in aliis quidem contractibus propter usum pecuniæ permissas fuisse usuras a Romanorum legibus, non tamen in nautico fenore, in quo unice ad periculi susceptio-nem respexerunt, non ad usum pecuniæ, adeo ut, remoto periculo, in legibus de nautico fenore cautum habemus nullas potuisse percipi usuras. Demum super hæc decretali videri possunt Gregor. Tholos., *De usur.*, lib. ii, cap. 5, n. 9; Franc. de Arauxo, *Decis. moral. de stat. civil.*, disput. 1, qu. 1; Velasquez de Avendanno, *Tract. de censib. Hispan.*, cap. 21; Giballin., *De usur.*, lib. ii, c. 4, art. 3, num 2 seq.; Petrus Santerna, *De assecurat.*, part. i, num. 10 seq.; Navar., *Manual. confess.*, cap. 17, n. 284; Scaccia, *De commerc.*, § 1, quæst. 1, num. 498 seq.; Lupus, *De usuris*, comment. 3, § 1, et cæteri omnes qui commentariis illustrant titulum juris canonici *De usuris*, quorum tamen opiniones parvi existimat, et ab illis se breviter expedit Zypæus, *Jur. pontific. nov.*, lib. v, tit. *De usur.*, n. 4, cum Paulo Bussio, ad tit. *Digestorum De nautico fenore*, n. 4, qui docent immerito, dictam decretalem nullibi gentium esse receptam. Lupus autem, *De usuris*, comment. 3, præfat., vocat nimis temere hanc constitutionem « duram, atque asperam, quæ redditur molesta non tam usurariis in fenore exercendo, quam interpretibus in eam exponendo. » Sed omnium novissimus negotiationem collibesticam, et fenus nauticum docte, non minus quam erudite pertractavit Baldasseronus nuper in lucem editus.

(41. Quamplures sunt huic nautico fenori affines contractus, inter quos primo occurrit *fenus quasi nauticum*, quod definitur « usura, seu accessio pecuniæ non per mare, ut in nautico fenore, sed per alia loca, etiam terrestria periculosa transferendæ. » Zecch., *De usur.*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, § 115. Verum, tesseris collibesticis, seu litteris cambialibus inventis, hoc contrahendi genus ab usu hominum re-

cessit. De tesseris autem collibesticis satis actum est supra lit. C, verb. CONTRACTUS CAMBIALIS, art. 1 et 2., et nonnulla infra erunt attingenda de societate, ubi de contractu trino agendum erit, qui temere a nonnullis cum nautico fenore confunditur.

(42. Ab eodem fenore nautico pariter distinguenda est assecuratio, seu contractus periculi avertendi «quo quis, certa mercede accepta, in se suscipit, et præstiturus pollicetur pericula a mercibus trans mare, vel alia loca vehendis subitura.» Puffendorf, *De jur. natur.*, lib. v, c. 9, § 8. Hic contractus, licet nonnullas leges cum nautico fenore communes habeat, nautico tamen fenori extraneus prorsus est. Diversæ enim ut plurimum concurrunt personæ, et sæpissime in actu prorsus separato uterque perficitur. Persona quippe assecurantis accedit post perfectum cambium marinum, quod perfectum fuerat inter creditorem et debitorem. Obligatio debitoris in cambio marino respicit personam creditoris; assecurator vero, minime spectata persona debitoris, obligationem suscipit favore ejusdem creditoris, adeo ut merito a plerisque assecuratio consideretur adinstar fidejussionis. De hoc vide doctores allegatos a Rot., decis. 457, num. 27, cor. Olivatio. A nautico fenore dissimilis non minus est contractus a Germanicis dictus *bodemeria* ex vocabulis Schifl-Boden, sive *carina maris*. Contractus hic apud nos dicitur *Imprestito sul corpo e noli*, in quo magister navis, vel exercitor, necessitate coactus mutuam accipit ab altero pecuniam, ut navem servet, eamque mutuanti oppignorat navigaturam deinceps ipsius mutantis periculo. De hoc posteriori contractu proprie agunt decisiones coram Olivatio, quarum meminimus supra,

NECESSITAS.

SUMMARIUM.

1. Necessitas alia est medii, alia præcepti, et alia medii, et præcepti simul. — 2. Necessitas medii quæ sit? — 3. Necessitas præcepti quæ sit? — 4. Necessitas medii et præcepti simul quæ sit? — 5. Necessitas proximi, sive spiritualis, sive corporalis est triplex, scilicet extrema, gravis et communis. — 6. Necessitas spiritualis extrema quæ sit? — 7. Necessitas spiritualis gravis quæ sit? — 8. Necessitas spiritualis communis quæ sit? — 9. Necessitas corporalis extrema quæ sit? — 10. Necessitas corporalis gravis quæ sit? — 11. Necessitas corporalis communis quæ sit? — 12. Alia hujus triplicis necessitatis clarior descriptio, *remissive*. — 13. In extrema necessitate est obligatio sub mortali succurrendi proximo etiam ex necessariis aliquo modo ad statum proprium. — 14. Hinc pauper in extrema necessitate jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem a quolibet similem necessitatem non patiente, nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. — 15. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id quod antea acceperat commodatum, vel mutuam, vel emptum nondum solutum, imo quod antea furatus fuerat. — 16. In gravi necessitate est obligatio sub mortali succurrendi proximo ex bonis superfluis propriæ vitæ, et statui, quamvis sint aliquo modo necessaria ad splendorem, et decentiam proprii status. —

sed utrique a nautico fenore differunt. Quamvis enim omnes in lucri spe et periculo versentur, in eo tamen fenus nauticum differt ab assecuratione, quod in hac non pecuniæ numeratæ, sed mercium alio transportandarum quispiam suscipit periculum. Differt autem a *bodemeria*, eo quod navis in specie creditori oppignoratur. De his fusiussimè Samuel Cocceius, *Jus civil. contr.*, l. xxii, tit. 2, quæst. 1, per tot.; Henric. Coccei., *Exercit. curios.*, disp. 68., et uterque Coccei. in *Commentur. ad Grot. De jur. bell. et pac.*; Stypman., *Jus maritim.*, part. iv, cap. 5, n. 136, et alia quamplura attulimus supra lit. A, verb. ASSECURATIO.

(43. His omnibus proxime accedere videntur conventiones, quas memorat lex 5, ff. *De nautic. fenor.*, quæque periculi pretium, et aleam continent, veluti si quis piscaturo in piscationis apparatus plurimum pecuniæ dederit, aut athletæ in exhibitionem, id est victum, uti explicat Ger. Nood, lib. ii, c. 7, *De fenor. et usur.*, in fin.; Quintilian., in l. xii *Inst. orat.*, c. 10, p. 1096, in fin. In exhibitionem, inquam, et exercitationem, ea tamen adjecta lege, ut ille si cepisset, si vicisset, alter redderet cum usuris; contra vero nil redderet ille, si nihil cepisset, nil alter, si victus a prælio discessisset. Inter has contrahendi species, et nauticum fenus quod discrimen intercedat, ex eo maxime liquet, quod in illis ne verbum quidem de pecunia trajectitia occurrat, nauticum vero fenus super pecunia trajectitia unice, et principaliter versetur. De his propterea pauca delibasse sufficiat, cum, qui majora curiosus inquirere cupiat, possit commode adire scriptores supra laudatos, et præsertim eos qui allegantur in decisionibus cor. Olivatio.

17. Imo in gravi necessitate secundum multos est obligatio succurrendi proximo etiam ex bonis aliis quibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis. — 18. Constitutus in gravi necessitate nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem suam necessitatem. — 19. In gravi tamen necessitate reipublicæ licitum est auferre a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad sublevandam rempublicam. — 20. Necessitas gravis reipublicæ v. g. propter famem, communiter æquivalere necessitati extremæ particularium, adeoque est obligatio sub mortali illi succurrendi in tali gravi necessitate. — 21. Imo licitum est subvenire reipublicæ in gravi necessitate etiam ex illis quæ ad usus pios etiam per ultimas voluntates sunt destinata. — 22. In communi necessitate adest obligatio sub gravi succurrendi quandoque per eleemosynam proximo pauperi ex bonis simpliciter superfluis vitæ et statui, et a fortiori ex superfluis decentiæ status. — 23. Pauperes autem laborantes solum necessitate communi nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem necessitatem communem. — 24. In quacunque pari necessitate potest quis sibi prius providere, quam quibuscumque aliis, etiam parentibus. — 25. In quacunque pari necessitate debet quis prius subvenire parentibus, filiis, et uxori, quam fratribus, vel sororibus. — 26. In quacunque pari necessitate debet quis prius succurrere sanguine junctis, licet improbis,

quam non junctis sanguine, et probis. — 27. In quacunque pari necessitate debet quis prius subvenire parentibus naturalibus quam spiritualibus. — 28. In extrema necessitate debet quis prius subvenire patri, matri, uxori, filiis, fratribus et sororibus, quam creditoribus. — 29. In extrema, vel gravi necessitate debet quis prius subvenire proprio patri et matri, quam proprio filio. — 30. In extrema necessitate debet quis potius subvenire patri et matri, quam uxori, filiis, vel cuicumque alteri, et hoc aliquid extendunt etiam ad necessitatem gravem. — 31. In extrema vel gravi necessitate debet quis potius subvenire patri quam matri. — 32. In extrema ne-

(1. Necessitas alia est medii, alia præcepti, et alia medii et præcepti simul. Sic in re communis doctorum. (2. Necessitas medii, seu finis, est illa qua aliquid est ita necessarium ad finem, v. g. ad salutem animæ consequendam ut sine eo, quamvis inculpabiliter omittatur, finis, id est animæ salus, obtineri non possit de lege Dei ordinaria: et sic est necessaria gratia sanctificans respectu omnium, baptismus in re respectu infantium, in re, aut in voto respectu adultorum. *Communis*. (3. Necessitas præcepti est illa qua aliquid sub obligatione præcepti necessario præstandum est, v. g. ad consequendam salutem æternam, eo quod alias quis, transgrediendo præceptum, mortaliter peccaret, sique æternam salutem amitteret, quamvis tamen si ex ignorantia, vel impotentia, aut oblivione inculpabili id forte prætermittatur, non impediatur salutis æternæ consecutionem, et sic est necessaria ad salutem observantiam mandatorum. *Communis*. (4. Necessitas medii et præcepti simul est illa qua aliquid est ita necessarium ad salutem æternam consequendam, ut non solum sine illo non possit quis salutem æternam consequi, sed insuper, si illud culpabiliter omittat, tanquam præcepti divini transgressor fiat reus perditionis æternæ. Sic adultis hominibus necessarius est baptismus ad salutem æternam casu quo possint eum in re suscipere. *Communis*.

(5. Necessitas proximi, sive spiritualis, sive corporalis est triplex, scilicet extrema, gravis et communis. Omnes. (6. Necessitas spiritualis extrema est, cum proximus versatur in periculo proximo damnationis æternæ, et quandoque si sit in periculo proximo peccandi mortaliter. *Communis*. (7. Necessitas spiritualis gravis est, cum proximus licet non versetur in periculo pro-

(119) *Notæ Romani theologi.* — Continuator Tourneley, part. iii *De rest. in part.*, cap. 2, quæres 11, aperte assertit «hominem, qui, transacta necessitate, ob quam omnia fuit restituta, in pinguiorem fortunam venit, urgeri obligatione restituendi hac de causa, quia tandiu remanet restituenda rei alienæ obligatio, quando dominus exigit rationabiliter, ut res illa sibi restituatur, ejusque dominium in alium non transfert: atqui, transacta extrema sua necessitate, rationabiliter exigit dominus ut res sua sibi restituatur; potuit enim legitime ejus usum concedere ea lege, ut ipsius restitutio sibi fieret statim ac fieri posset. Possent quidem homines consentire, ut quoties aliquis in extrema necessitate constitutus foret, is rem alienam, absque restituendi onere, tanquam pauper acciperet, sed in

cessitate debet quis potius subvenire filiis quam uxori. — 33. In extrema vel gravi necessitate maritus debet potius subvenire uxori quam aliis suis propinquis, et ita uxor debet prius subvenire marito. — 34. In extrema necessitate si sit filius, tenetur pater ipsi succurrere prius quam uxori ipsius. — 35. In communi necessitate debet quis potius proliis suis succurrere, quam suis parentibus. — 36. In communi necessitate debet maritus præferre uxorem, et uxor maritum propriis parentibus et proliis. — 37. In communi necessitate tenetur uxor prius succurrere marito, et maritus prius succurrere uxori quam pater vel filius.

ximo damnationis æternæ, reperitur tamen in talibus circumstantiis, quæ ejus salutem æternam reddunt difficilem. *Communis*.

(8. Necessitas spiritualis communis est illa, in qua reperiuntur communiter peccatores in mortali constituti. *Communis*.

(9. Necessitas corporalis extrema est illa, cui si non succurratur, egentis proximi vita certo, vel probabiliter periclitabitur. *Communis*. (10. Necessitas corporalis gravis est illa cui, si non succurratur, imminet proximo periculum gravis mali, ut captivitas, notabilis jacturæ bonorum, vel status, et hujusmodi, ratione quorum proximus vitam nonnisi ægre et difficulter potest conservare. *Communis*. (11. Necessitas corporalis communis, seu ordinaria est illa qua laborant pauperes triviales, qui ostiatum, communiter et ordinarie mendicare solent. *Communis*. (12. *Vide* sub verb. ELEEMOSYNA, a n. 9 ad 12, aliam hujus triplicis necessitatis clariorem descriptionem.

(13. In extrema necessitate est obligatio sub mortali succurrendi proximo etiam ex necessariis aliquo modo ad statum proprium. *Communis*. (14. *Vide* dict. verb. ELEEMOSYNA, num. 13. Hinc pauper in extrema necessitate jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem a quolibet similem necessitatem non patiente; nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. *Communis*.

(15. *Vide ibidem*, num. 14. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id quod antea acceperat commodatum, vel mutuam, vel emptum nondum solutum, imo quod ante furatus fuerat. Sic ex communi Lessius, et alii. *Vide ibidem*, num. 15 (119).

(16. In gravi necessitate est obligatio sub

his de facto consensisse non videntur.) Atque hinc facile patet hominem, qui dum in extrema necessitate esset, mutuo atque commodato rem alienam accepit, atque consumpsit, teneri ad restitutionem, dum in pinguiorem fortunam veniat: tum quia hac lege præsumitur rei dominum commodasse, vel mutuasse; tum etiam, quia vel homo ipse miser, qui mutuam, vel commodatum accepit, sese obligasse videtur ad restituendum, cum posset. Imo et idem dicendum videtur de furto. Ideo enim in extrema necessitate omnia communia dicuntur, quia hoc in casu dominus rei non censetur rationabiliter invitus, dum quidpiam ipsius rei ab extrema necessitate laborante subripiatur; ergo qua ratione dominus rationabiliter invitus non est, eadem ratione excusabitur miser a restitutione; atqui, transacta ne-